

quia ex eodem cap. præsумitur, quod legislator ignoret consuetudines speciales, et particularia statuta locorum. Sufficit vero si generice consuetudines nominet, quemadmodum si dicat 'quacumque consuetudine non obstante'. Sub qua clausula vero non venit centenaria vel immemorialis consuetudo, quæ privilegiata dicitur; quæ non abrogatur, nisi etiam privilegiata in clausula comprehendatur. Id est nisi legislator expresse caveat per legem, quam edit, se velle abrogare quamcumque consuetudinem etiam immemoriam et privilegiatam. Porro centenaria consuetudo ea est, quæ centum annos enumerat a sui initio; immemorialis vero ea est, cujus initii in populo memoria non extat. Ratio est, quia in suo esse juridico a legibus distinguitur consuetudo immemorialis vel centenaria, a communi simplici consuetudine præscriptiva legis. Prima enim consuetudo ex temporis diuturnitate ingerit præsumptionem tituli, et induit naturam privilegii a principe concessi. Argum. c. 26. de Verb. Sign. Unde et privilegiata dicitur. Quare in odiosis, prout est abrogatio, consuetudo privilegiata sub appellatione generali consuetudinis non comprehenditur. Deinde ipsa praxis Romanor. Pont. id confirmat; quandoque enim, idest quando Pontifex abrogare vult consuetudines etiam immemoriam et centenarias, clausulæ generali 'non obstante quacumque etc.' addunt etiam 'immemoriali et privilegiata'. Excipitur vero casus, in quo contraria consuetudo reprobatur ceu corruptela juris et irrationalis. Exemplum exhibetur in capp. 5. et 10. h. t. Hoc enim in casu si valeret consuetudo etiam immemorialis, sustineretur consuetudo, quæ rationalis non esset, quod et conceptui consuetudinis et dispositioni Gregorii IX. in c. ul. h. t. adversaretur. — Consuetudo abrogatur etiam per consuetudinem contrariam legitime præscriptam. Nihil enim tam naturale est, quam ut res eodem modo solvatur, quo colligata est.

### De Personis.

Post generales titulos de fontibus juris, B. Raimundus aggreditur tractationem de Ecclesiastica Hierarchia, id est de Prælati et Ministris Ecclesiæ. Porro jure Decretalium Clerici ad dignitates et prælaturas assumebantur per postulationem, per electionem et per translationem. Quare in tribus distinctis titulis de hisce modis promovendi personas ad dignitates primarias in Ecclesia agitur. Cum vero in titulo de postulatione plura essent enu-

cleanda, quæ fusius ac melius in titulo de electione traduntur, hinc titulum de Electione præponimus titulo de Postulatione Prælatorum. Quare sit.

### TITULUS VI.

#### De electione et electi potestate.

1. In religionis Christianæ exordio, amplissima accepta potestate, Apostoli Ecclesias instituebant, ac pastores eisdem præficiiebant. Apostolis vita functis, electio Episcoporum ex triplici concursu fiebat. Concurrebat enim vox populi, id est suffragium populi testimonium ferentis de vita et moribus eligendæ personæ. Quod suffragium etiam ex postulabatur, ne invitis pastor daretur. Concurrebat etiam vox Cleri, seu suffragium Cleri approbantis vitam et promotionem alicujus ad episcopatum. Tandem concurrebat formalis electio seu designatio personæ ab Episcopis comprovincialibus cum proprio Metropolitano, qui ad hoc negotium explendum sese ad ecclesiam viduatam conferebat, ut eam iterum solatio novi pastoris consolaretur, ac præficiendum Episcopum eligebat Clero civitatis et plebe præsentem et consentientem, atque electum in eadem Ecclesia consecrabat. Patet id ex ep. 68. divi Cypriani, qui hæc scribit: 'Diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant et Episcopus deligatur plebe præsentem, quæ singulorum vitam plenissime novit. . . . Quod et apud nos factum videmus in Sabini Collegæ nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, et de episcoporum, qui in præsentia convenerant . . . judicio episcopatus ei deferretur, et manus ei imponeretur'.

2. At quod rite procedebat primis temporibus, cum fidelium cor unum erat et anima una, non amplius servari potuit. Nam præsertim studium partium vel etiam pecuniæ cupiditas cœpit urgere plebem in electionibus, et indigni promovebantur. Hieronymus animadvertit temporibus suis populi suffragia non processisse prout decebat. Quare Syn. Sardicensis c. 2. prout legitur in c. 2. h. t. removit populum in negotio electionis; ac tandem ex decreto Syn. Nic. II. solis Episcopis Provinciæ reservata est electio



Episcoporum. Deinde inductum est jus Decretalium, quo nempe a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ eligebatur Episcopus. Cum vero etiam in hac forma electionis orta fuerint incommoda malique effectus, Rom. Pontifices inceptorum collationes Episcopatum sibi reservare; atque inde proposita est Reg. Cancell. 2<sup>a</sup>. de reservatione Rom. Pontifici episcoporum omnium. Qua tamen in re adnotandum est, Romanos Pontifices usos fuisse jure suo; etenim cum demortuis Apostolis, suprema potestas ordinaria in Rom. Pontifice resideat, munus fundandi Ecclesias, ac designandi pastores ipsi competere debet. Hinc vetus modus eligendi Prælatos fuit ex delegatione vel expressa vel tacita Rom. Pontificis.

3. Electio vero definitur 'Personæ idoneæ ad prælaturam ecclesiasticam vacantem per vota legitimorum electorum canonica vocatio, a superiore confirmanda'. Dicitur *vocatio canonica*, quia celebrari debet servatis quibusdam legibus et conditionibus a jure canonum definitis. *Per vota legitimorum electorum*. Nam concurrere debet consensus personarum, quibus inest jus eligendi, ut Persona ad prælaturam legitime vocetur. Quæ prælatura debet esse vacans; secus electio absolute a canonibus interdicitur. Concedi enim alicui non potest, quod ab altero legitime retinetur. Electio autem debet confirmari a superiore; quia electio non confert electo plenum jus assequendæ prælaturæ. Differt vero a postulatione; nam postulantur, qui laborant aliquo impedimento canonico, ob quod a prælatura arcentur. Differt a præsentatione; nam præsentatio fieri potest etiam a laicis, qui possent post unum et alios præsentare. Electio vero a Clericis celebratur, qui post electionem legitimam unius personæ, aliam prohibentur eligere. Differt tandem a libera collatione, quia per collationem conceditur Clerico totum ac plenum jus in beneficium, id est tum jus ad rem, tum jus in re. Collatio enim est actualis concessio Præbendæ, Electio autem confert tantummodo jus ad rem, id est ad obtinendam Prælaturam; quam post confirmationem plene consequitur qui electus est.

4. *Quæstio 1<sup>a</sup>*. Quinam legitime possunt eligere? — Pro generali principio statuendum est, jus eligendi ad prælaturam ecclesiasticam proprium esse ordinis clericalis, nec ad laicos spectare posse. Electio enim prout in titulo sumitur est legitima destinatio personæ ad sacrum officium; ex qua jus persona illa assequitur ad officium illud obtinendum per confirmationem. Laici vero com-

mandare utique possunt aliquem ad officium sacrum, jus autem positive et proxime ad illud concedere nequeunt: Can. 'Nullus' dist. 63. et c. 51. h. t. Quare electio facta a laicis ipso jure irrita est c. 3. h. t. Immo etiam nulla est electio celebrata concurrentibus canonicis et laicis; quibus nec suffragatur consuetudo, nec compositio facta cum prælatis Ecclesiæ ipsius. Primum liquet ex c. 56. h. t., secundum ex c. 51. eod. Nec objiciatur expressio illa cap. 24. h. t. 'populum nempe in possessione fuisse eligendi ex antiqua consuetudine'. Nam ibi sermo erat de præsentatione. Quod a pontifice ostenditur, cum inferius dicit, populum fuisse 'in quasi — possessione præsentandi', ac quæstionem patronatus quoad jus se nolle attingere, fatetur. Ex plenitudine autem potestatis potest Summ. Pontifex concedere laicis jus concurrenti suffragio suo ad electionem perficiendam. Ratio hæc videtur esse, electio non est actus potestatis ordinis, bene vero induit naturam actus potestatis jurisdictionis. Jamvero actus potestatis jurisdictionis possunt committi et delegari etiam Clericis illis, qui non sunt in Ordine constituti, qui ex divina institutione procedat. Id est Clerici etiam minores, imo simpliciter tonsurati possunt exercere actus jurisdictionis ecclesiasticæ, ex mandato. Igitur exercitium jurisdictionis non exposcit essentialiter in persona fundamentum conditionis procedentis ex ordinatione juris divini; sed exercitium jurisdictionis solummodo exigit conditionem juris ecclesiastici, prout est conditio personæ tonsuratæ tantummodo. Igitur exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ ex virtute juris ipsius ecclesiastici regitur et gubernatur. Atqui Rom. Pontifex est supra jus ecclesiasticum. Ergo ex plenitudine potestatis Rom. Pontifex potest delegare alicui laicæ personæ aliquem actum jurisdictionis ecclesiasticæ, et per consequentiam jus electionis perficiendæ.

5. Ad Clericos ergo sermonem coarctamus, de quibus hoc principium statuimus. Illis jus eligendi, seu jus electionis activæ competit, qui membra sunt Capituli, vel collegii, vel communitatis, cujus Prælatos eligi debet c. 1. h. t. Et quoniam præcipue de Episcopi electione disquisitio facienda est, dicimus ex jure canonum non ad quoscumque Clericos Diocesanos, vel Cathedralis Ecclesiæ jus Episcopum eligendi pertinere, sed solummodo ad Canonicos Cathedralis ipsius, qui senatum Episcopi constituunt.

6. Præter hos vero jus eligendi potest competere Clericis etiam extraneis a Capitulo ex variis titulis. Primo quidem legi-



tima præscriptione c. 50. h. t. et 4. de Postul. Hæc tamen præscriptio si titulo colorato innitatur, spatio 40 annorum completur. Nam præscriptio contra jura Ecclesiarum completur spatio 40 annorum capp. 4. 6. et 8. de Præscript. In c. 6. Alex. III. ait 'quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem tollit'. Immemorialis autem requiritur, si nullo prorsus titulo innitatur c. 1. de Præscript. in 6°. Secundo jus eligendi a Clerico extraneo acquiritur ex privilegio Pontificis. Quod etiam innuitur in c. 8. de consuet. Tertio ex lege speciali in fundatione Ecclesiæ Cathedralis, in qua caveatur, ut electio Prælati spectet ad Prælaturam alterius Ecclesiæ, vel admitti etiam debent Clerici, qui Canonici ecclesiæ Cathedralis non sunt.

7. Ex ipsis vero Canonicis Ecclesiæ cathedralis excluduntur 1°. ii qui tempore celebrationis electionis subdiaconi non sunt. Clem. 2. de æt. et qual. et ord. præf. Conc. Trid. sess. 22. c. 4. de ref. Ii enim vocem in capitulo non habent, neque ad electionem perficiendam possunt ex aliorum Canonicorum indulgentia admitti, si autem admittantur, eorum suffragium omni prorsus valore caret. — 2°. Ratione defectus ætatis vel consilii voce activa electionis privantur impuberes, licet beneficium ex dispensatione obtinuerint c. 32. h. t. in 6°.; necnon furiosi et mente capti. — 3°. Suspensi ex c. 16. h. t. et c. 8. de Consuet. Suspendio, quæ privat Canonicum voce activa electionis, est vel totalis, quæ nempe suspendit ab officio et beneficio, vel ab officio tantum; non autem quæ suspendit tantum a beneficio; nam per illam quis tempore suspensionis non potest exercere actus officii sui; per secundam vero tantum privatur fructibus præbendæ. — 4°. Personaliter interdicti, aut interdictum locale violantes c. 16. h. t. et c. 18. §. 2. de sent. excom. in 6°. — 5°. Excommunicati majore excommunicatione c. un. Ne sede vac. in 6°. et c. 39. h. t. Qua in re animadvertendum est jure Decretalium omnes hac excommunicatione irretitos jure electionis activæ privari. At non idem dicendum est post Bullam Martini V. *Ad Evitanda*. Nam ex præscriptione illius Bullæ evitandi sunt solummodo nominatim denunciati ceu excommunicati, et publici percussores Clericorum. Reliqui tolerantur ita ut a fidelibus requisiti etiam in spiritualibus possint officium suum exercere, et cum ipsis communicare. A pari ergo poterunt eligere. Nec objiciatur Martinum nullum voluisse favorem conferre excommunicatis, sed onus eos vitandi coarctasse solum in

aliorum fidelium bonum; nam electio est actus qui non refertur in bonum et commodum electorum, sed potius electi favorem et Ecclesiæ bonum respicit. Valida ergo est electio, quamvis in ea concurrat suffragium excommunicati tolerati. Ceterum excommunicatus toleratus poterit per exceptionem ab edendo suffragio removeri, qua exceptione posita, suffragium, si ab eo detur, non valet. — 6°. Eligentes vel postulantes indignum pro ea vice amittunt jus electionis c. 7. §. ult. h. t. et c. 37. h. t. in 6°. — 7°. Qui tempore definito cessante impedimento legitime Prælaturam non eligunt; quo in casu jus ad superiorem devolvitur c. 41. h. t.

8. *Quæstio 2<sup>a</sup>*. De eligendis, id est de jure passivæ electionis. — Ex c. 7. h. t. in princ. Alex. III. ait 'In sacris Ordinibus et in ecclesiasticis ministeriis inquirenda est ætatis maturitas, gravitas morum et literarum scientia'. Quare quidam prohibentur a facultate passivæ electionis ex defectu scientiæ, quidam ex defectu ætatis, quidam ex defectu gravitatis morum.

9. Quoad scientiam attendenda est dispositio Conc. Tridentini sess. 22. c. 2. de ref. ubi ait 'Scientia præter hæc ejusmodi polleat (eligendus ad Episcopatum) ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere; ideo antea in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel Jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur'.

10. Ex defectu ætatis in Episcopum eligi non potest qui ante 30. nondum expleverit; in c. enim 7. cit. Concilium ait 'statuit ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum ætatis exegerit'. Induunt naturam hujus impedimenti irregularitates sive ex defectu mentis, uti est in amentibus, furiosis qui pueris æquiparari solent; sive ex defectu corporis, quasi nempe desit debita evolutio personæ, vel ejus integritas. Hinc in c. 30. h. t. traditur irregularem posse utique postulari non vero eligi.

11. Ex defectu morum repelluntur ab electione passiva infideles jure divino; sunt enim beneficiorum ecclesiasticorum incapaces. 2°. Hæretici, credentes, receptatores, defensores et fautores ipsorum, et eorum filii in linea masculina ad secundam usque generationem, in fœminina usque ad primam generationem c. 15. de hæret. in 6°. Quod caput corrigit caput secundum eod. Excluduntur etiam schismatici arg. c. 5. h. t., in quo electio schismatici ad Ecclesiæ unitatem revertentis dispensative solum confirmari permittitur. Quo in capite



glossa adnotat 'qui scindit se ab unitate Ecclesiae, de jure communi non potest promoveri'. 3<sup>o</sup>. Sacrilegi arg. c. 34. h. t. et can. Nulli caus. 3. quæst. 4. 4<sup>o</sup>. Literarum Apostolicarum falsarii c. 7. de Crimine falsi, usurarii manifesti, ac publici aleatores, qui nempe immoderate alearum ludis dant operam c. 15. de excess. Prælat. 5<sup>o</sup>. Perjurii c. 16. de jurejur. 6<sup>o</sup>. Ambitiosi, qui nempe consentiunt electioni in propriam personam factæ, antequam conficeretur et publicaretur electionis decretum c. 46. h. t. 7<sup>o</sup>. Ex Const. S. Pii V. quæ incipit 'Horrendum' ineligibiles sunt sodomiae crimine maculati. 8<sup>o</sup>. Qui tempore electionis absque congrua dispensatione possident plura beneficia curata, aut dignitates vel personatus c. 54. §. Nos igitur h. t. 9<sup>o</sup>. Qui consensit electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis c. 43. h. t. — 10<sup>o</sup>. Irrita est electio alicujus, quæ etiam ipso ignorante simoniace confecta fuerit. Dummodo pecuniæ solutio non facta fuerit vel contra voluntatem electi, vel in fraudem electi ipsius, eo scilicet scopo ut nempe possit oppugnari electio. c. 27. de Simonia et cap. penult. h. t. — 11<sup>o</sup>. Ineligibiles sunt qui semel, non ex defectu formæ non observatæ, sed ex vitio personæ rejecti; quorum nempe ex crimine aliquo electio fuit declarata irrita c. 12. h. t. — 12<sup>o</sup>. Infames, sive qui maculantur infamia juris, sive qui infamia facti maculantur. Ex Regula enim Juris 87. in 6<sup>o</sup>. 'infamibus portæ non pateant Dignitatum' et can. Infames 6<sup>o</sup>. q. 1. Ubi, expositis variis criminibus, quæ personarum famam lædunt, concluditur 'hi omnes nec ad sacros gradus debent admitti'. Crimen vero ut infamiam gignat non debet esse mere occultum (excepto tamen homicidio). Insuper adnotari debet differentia inter impeditos infamia juris et impeditos infamia facti. Cum infamia juris judicalem provinciam ingrediatur, ac publicam auctoritatem attingat, remitti ac absolvi nequit absque contraria judicis sententia, quæ innocentiam declaret, aut saltem edicat non constare de crimine. Hinc qui ea detinetur non potest eligi ad dignitates et ad Episcopatum, antequam hæc sententia obtineatur, aut ab auctoritate competente non dispensetur ab infamia. Cum vero infamia facti in publica opinione consistat, eaque cesset, postquam mutatis in melius moribus ac peracta peccatorum pœnitentia populus incipiat bene de persona cogitare, sequitur posse inde eligi qui antea infamis reputabatur arg. c. 11. de excess. Præl. 13<sup>o</sup>. Ob censuras repelluntur ab electione a) excommunicati excommunicatione majori, etiam non vitandi, id est tolerati, dummodo

non fuerint occulti cap. Cum dilectus 8. de Consuet. c. 1. de Postul. Præl. Major autem requiritur, quia si electio fiat illius, qui excommunicatione minore detinetur, irritatur a iudice, sed per se non est irrita. c. 10. de Cleric. excom. minist. b) Suspensi c. 8. de Consuet. c) Personaliter interdicti vel temere violantes interdictum locale c. 18. §. 2. de Sent. excom. in 6<sup>o</sup>. Tandem d) Irregulares sive irregularitas ex crimine sive ex defectu procedat.

12. **Quæstio 3<sup>a</sup>.** De iis quæ electionem præcedunt. — 1<sup>o</sup>. Præcedere debet vacatio sedis seu beneficii ad quod personæ novæ electio facienda est. Etenim abhorruerunt canones destinationem personæ in locum illius qui adhuc legitime retinet beneficium. Quare non solum concessio sed etiam promissio præbendæ non vacantis reprobatur capp. 1. et 2. de concess. Præb. Immo sede plena reprobantur ipsi tractatus circa futuram electionem.

Porro Ecclesia vacare potest 1<sup>o</sup>. per mortem naturalem Prælati, vel per mortem civilem, qua nempe ob culpam gravem a Superiore decernitur removendus. 2<sup>o</sup>. Per translationem Episcopi ad aliam sedem can. Episcopus 7. q. 1. 3<sup>o</sup>. Per legitimam renuntiationem acceptatam a Superiore. 4<sup>o</sup>. Per acceptationem et assecutionem alterius incompatibilis beneficii, vel ingressum et professionem Prælati in Religione approbata capp. 10. et 11. de Renuntiat. Quod si sedes vacaverit per mortem Prælati, antequam procedatur ad electionem, 1<sup>o</sup>. præmitti debet honorifica sepultura Prælati ejusdem c. 36. h. t. §. electionem. Hoc vero reverentiæ officium non est absolute necessarium ita ut secus sit nulla electio. 2<sup>o</sup>. Debet præfiniri et adsignari locus et tempus ad electionem perficiendam arg. capp. 50. et 52. h. t. 3<sup>o</sup>. Vocari debet quicumque jus habet eligendi, quique possit commode et velit interesse ex c. 42. h. t. Quod si aliquis non fuerit vocatus, potest ipse petere ut rescindatur electio c. 28. h. t. §. 'quod si eos'. Hic vero si de spreto vel neglecto non agat, taciturnitate sua videtur confirmare, quod ab aliis electoribus factum est. Diximus 'commode possunt venire'; nam si quis in regiones abierit remotissimas, ita ut accedere nequeat intra bimestre vel trimestre, non est vocandus.

13. **Quæstio 4<sup>a</sup>.** An suffragium dari possit per procuratorem? In cap. 42. h. t. §. 'illud autem' affirmativa sententia proponitur, quibusdam concurrentibus adjunctis. Primo requiritur, ut quis sit absens a loco, in quo celebranda est electio. 2<sup>o</sup>. Requiritur, ut justo impedimento detineatur ex. gr. ceu admonet glos. in cit. cap. v.



'venire' gravi infirmitate; sic si elector timeat insidias vitæ suæ structas, vel injuste detineatur ab extranea vi. Quod de absentibus diximus, etiam illis applicari potest qui ubi celebratur electio commorantur, sed infirmitate impediti ad locum electionis accedere prohibentur. Ita auctores; qui insuper non reprobant alicujus Capituli consuetudinem in quo scrutatores adeunt infirmos, eorumque votum exquirunt.

14. Procurator vero debet eligi ex ipsis canonicis electoribus ex cit. c. 42. h. t. §. cit. ita ut si extraneus eligatur, possint, si velint, Capitulares excipere illumque repellere. Nam conditio, ut eligatur unus e gremio Capituli, posita est in honorem et commodum Capituli ejusdem, cui proinde potest renunciare, acceptans extraneum. Quandoque autem non unus tantum, sed plures designantur procuratores, ut uno fortasse deficiente, tutius suffragium mandantis in electione concurrat. c. 46. h. t. in 6°. Verum non nisi in solidum constitui possunt plures procuratores. Id est non constituuntur plures, ut singuli suffragium nomine mandantis exhibeant; sed ut unus solummodo, qui alios præveniat, possit suffragium emittere c. 14. de Procur. Quod si duo simul concurrant procuratores, tunc valet votum illius qui a Capitulo eligitur; vel, si Canonici non conveniant, ille præfertur qui prior in literis commissionis describitur c. cit. 46. h. t. in 6°.

15. Porro procurator canonicus si mandatum pro eligenda persona speciali acceperit, poterit suffragium proprium dare pro distincta persona; si vero in mandato designata non fuerit persona eligenda, uni tantum personæ suffragium proprium et illud mandantis dare potest. Quia quisque tenetur eligere quem magis idoneum reputat; unus autem est præ cæteris aptior in cujuslibet electoris mente cit. c. 46. h. t. in 6°. §. 2.

In quo cap. §. ult. interdicitur suffragium per literas expressum, licet nullus ex Canonicis velit esse procurator, et capitulum extraneam personam recuset.

16. **Quæstio 5<sup>a</sup>.** De forma electionis. — Jure Decretalium triplex est, scilicet *inspirationis* vel quasi inspirationis, *scrutini*, et *compromissi* ex c. 42. h. t. In quo capite reliquæ formæ electionis reprobantur, et præsertim reprobatur electio *per sortes*. Verum in materia electionis per sortes præ oculis haberi potest resolutio S. Congr. Conc. in causa Romana Electionis et Devolutionis diei 2. Maji 1857. Cum ageretur de electione ad Canoni-

catum Basilicæ S. Mariæ in Cosmedin facta ex unanimi consensu electorum per sortes, postquam in triplici repetito scrutinio æqualia suffragia duobus Candidatis favissent, S. Congregatio decrevit electionem hanc sustineri. Certa enim erat electoribus idoneitas utriusque, et ex paritate suffragiorum constabat paria fuisse utriusque merita. Hinc cessabat ratio juris, ob quam sortium usus prohibetur, et ceteroquin, non agebatur de beneficio qualificato quod exegisset formam canonicam electionis. Quapropter conclusio est: usus sortis non interdicitur in electionibus ecclesiasticis, quando constat de idoneitate candidatorum, et ex duobus vel tribus experimentis resultaverint paria pro singulis candidatis suffragia, maxime si agatur de beneficiis non qualificatis.

17. Electio per inspirationem obtinuit, cum verum et sensibile miraculum contigit, ut quis in Episcopum assumeretur. Quasi per inspirationem celebratur electio, cum nullo præmisso tractatu omnes electores unanimi consensu atque una voce aliquem eligunt in prælatum. Hanc formam probat Innoc. III. in cit. c. 42. in fin. h. t. Optime autem ibi adnotat Pontifex hanc valere electionem, si vitio careat. Si enim vel simonia locum habuerit, vel conspiratio turpis, vel fuerit adempta libertas debita electoribus, electio non sustinetur arg. c. 26. et c. 45. h. t.

18. Secunda forma est per scrutinium et ex c. 42. h. t. ex mente Innoc. III. potest definiri electio illa, quæ 'præsentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt interesse, celebratur per collectionem suffragiorum circa eam personam, in quam consentit major et sanior Capituli pars'. Forma hæc ita procedit. Electores in loco designato intra ambitum viduatæ Ecclesiæ c. 18. h. t. in 6°. capitulariter collecti in congregatione, id est juxta modum quo capitulum celebrari solet, c. 42. h. t. et c. 55. h. t. tres scrutatores fide dignos eligunt de gremio Capituli, qui recipiunt vota singulorum. Ex veteri disciplina scrutatores per verba excipiebant suffragia eligentium. Inde vero inductum est, ut suffragia scripto traderentur. Receptis suffragiis scrutatores suffragia publicant et vident, quinam majorem numerum suffragiorum retulerit, ac conficitur decretum electionis, atque publicatur uti facta. Porro ille censetur electus, in quo convenerit major et sanior Capituli pars. Quæ expressio ut intelligatur, sciendum est factam fuisse ex veteri disciplina triplicem collationem, nempe numeri ad numerum, meriti ad meritum, zeli ad zelum. Prima collatio fiebat inspiciendo



numerum suffragiorum, quæ ab electoribus ferebantur. Meriti ad meritum fiebat comparatio inspiciendo electarum personarum merita, id est auctoritatem et dignitatem personarum. Zeli ad zelum collatio fiebat inspiciendo intentionem ab electoribus in edendo suffragio manifestatam, an scilicet suffragium dedissent ob finem legitimum, vel potius ob humanum finem. Hæc triplex collatio fiebat, ut appareret, quinam esset, in quem convenisset major et sanior Capituli pars. Abbas in c. 42. h. t. n. 10. Non enim electio valebat, nisi concurrisset major capituli pars, licet minor pars fuisset sanior c. 50. h. t. sed ad novam electionem deveniendum erat. Excipiebatur casus quo major pars elegisset scienter indignum; quia pro illa vice privabatur jure eligendi, et sustinebatur electio facta a minori et saniori parte Capituli c. 53. h. t. Hæc collatio vero non fiebat in casu unanimis Canonicorum consensus in aliquem eligendum, vel si quis a duplo majori parte Canonicorum electus fuisset, quia hæc pars et sanior præsumebatur c. 9. h. t. in 6<sup>o</sup>. Imo et generatim quando in aliquem eligendum major pars Capituli concurrebat, hæc pars et sanior præsumebatur, ceu adnotat Pontifex in c. 57. h. t. At quandoque præsumptio veritati cedebat, et major pars eligebat minus idoneum; et tunc facta comparatione meriti ad meritum inter electos et zeli ad zelum inter eligentes, apparebat sanio rem partem haud convenisse in electionem cujusdam perficiendam; quæ proinde electio cassabatur. Exemplum habemus in ipso cit. c. 57. h. t. et c. 55. h. t. Modo autem quando agitur de negotio electionis perficiendæ etiam ad minora officia, major numerus electorum in quendam conspirantium, majorem quam antiquitus præsumptionem inducit etiam potioritatis meriti ad meritum. Unde communiter electus habetur ille qui majoris partis Capituli suffragia referat; nisi ceteroquin indignus reperitur. At hæc non ex defectu formæ, sed ex qualitate personæ, quæ potiora suffragia retulit, electio caret effectu.

19. Tertia forma electionis est per compromissum, quæ locum habet, cum Capitulares uni vel pluribus personis idoneis potestatem eligendi concedunt, ita ut electus a compromissariis censeatur electus nomine et vice capituli. Quod hæc forma sit legitima, apparet ex dispositione capp. 42. et 30. h. t. Porro indifferens est, utrum compromissarii de gremio capituli sint vel extranei, ceu docet gloss. in c. 42. et ab omnibus recipitur. Conditiones compromissi sunt 1<sup>o</sup>. ut compromissarii sint clerici. Laici enim negotia

pure ecclesiastica tractare nequeunt c. 2. de Judiciis. Porro in c. 8. 'Contigit' de Arbitris cavetur expresse, ne in rebus spiritualibus compromittatur in laicum. 2<sup>o</sup>. Ut inter clericos ipsos persona vel personæ idoneæ eligantur c. 42. h. t. 3<sup>o</sup>. Ut compromissarii eligantur ex consensu omnium et singulorum, qui jus habent eligendi, ita ut dissensus unius compromissum reddat nullius roboris. Innuitur hæc conditio in cit. c. 42. cum de compromissariis dicatur 'qui *vice omnium* Ecclesiæ viduatæ provideant de pastore'. Et post glossam in d<sup>o</sup>. capite traditur communiter a Doctoribus ob rationem apertissimam deductam ex natura electionis, quæ tangit jus et negotium singulorum. Hinc valet Reg. 29. Juris in 6<sup>o</sup>. 'quod omnes tangit, debet ab omnibus probari'. Quod si omnes et singuli probaverint viam compromissi, non omnes vero convenerint circa personas destinandas ad negotium electionis perficiendum; ille vel illi habebuntur legitimi compromissarii, in quem vel in quos convenerit major pars suffragiorum Capituli.

20. Compromissum vero esse potest vel absolutum et illimitatum, vel ab aliqua conditione moderatum. Primum obtinet, cum libera facultas conceditur compromissariis eligendi personam sibi benevisam. Quo in casu data potestate eligendi censeatur data etiam postulandi facultas c. 30. h. t. Secundum, cum aliqua conditio statuitur sive quoad modum eligendi, sive quoad personas determinatas, inter quas electio cadere debeat. Ex. gr. si debeat eligi aliquis de Capitulo. Porro Capitulum non tenetur recipere electionem factam a compromissariis, non servata forma compromissi capp. 32. et 52. h. t. Hic modus in forma conditionata reperitur adhibitus in cap. 32. h. t. Cum vero dubium ortum fuerit, utrum hic modus abrogatus esset a Constitutione Conc. general. Lateranensis, relata in c. 42. h. t. 'Quia propter' Bonifacius VIII. in c. 29. h. t. in 6<sup>o</sup>. declaravit posse adhuc adhiberi, quia non fuit a Conc. Lateran. prohibitus.

21. Quæritur utrum compromissarius sibi possit suffragium dare. Certe, si unus tantum sit compromissarius, non potest, quia hæc agendi ratio ambitum redoleret; ita glossa in c. 33. h. t. cum auctoribus. Accedit etiam ratio, quia si Capitulum voluisset eligere compromissarium in prælatum, eundem elegisset, nec ei mandatam dedisset ad eligendum. Quod si vero plures sint, qui electioni perficiendæ sint a Capitulo destinati, unus ex iis potest in suam electionem consentire per proprium suffragium c. 33. h. t.